Ergo rex es tu? Respondit ihc. Tu dicis. quia rex
sum ego. Ego in hoc natus sum. et ad hoc ueni in
mundum. ut testimonium perhibeam ueritati. Omnis
qui est ex ueritate. audit uocem meam. Dicit ei pi
latus. Quid est ueritas? Et cum hoc dixisset iterum
exiuit ad iudeos. et dicit eis. Ego nullam inuenio
in eo causam. Est autem consuetudo uobis. ut unum
dimittam uobis in pascha. Uultis ergo dimittam
uobis regem iudeorum? Clamauerunt omnes dicen
tes. Non hunc. sed barraban. Erat autem barrabas
latro. Tunc ergo adprehendit pilatus ihm. et
flagellauit. Et milites plectentes coronam de spi
nis inposuerunt capiti eius. et ueste purpurea
circumdederunt eum et ueniebant ad eum et di
cebant. Haue rex iudeorum. Et dabant ei alapas.
Exiit iterum pilatus foras. et dicit eis. Ecce adduco
uobis eum foras. ut cognoscatis quia in eo nullam
causam inuenio. Exiit ergo ihc portans spineam coro
nam. et purpureum uestimentum. et dicit eis. Ecce ho
mo. Cum ergo uidissent eum pontifices et ministri.
clamabant. dicentes. Crucifige. crucifige eum.
Dicit eis pilatus. Accipite eum uos. et crucifigite.
Ego enim non inuenio in eo causam. Responderunt
ei iudei. Nos legem habemus. et secundum legem
debet mori. quia filium dei se fecit. Cum ergo
audisset pilatus hunc sermonem. magis timu
it. Et ingressus est in pretorium iterum. et dicit ad
ihm. Unde es tu? Ihc autem responsum non dedit
ei. Dicit ei pilatus. Mihi non loqueris? nescis

Halle UB. Fragm. 33

32 x 24 cm
Lan Bl.